

## XI.

## IOHANNES PRETTEN.

**I**OHANNES Prettien, Sacrae Theologiae Doctor, Numburgi ad Salam A. 1634. d. 16. Nov. adspexit lucem, Patrem ibi habuit Iohannem Prettien/ Ciuem honestum & Vietorem, Matrem Elisabetham, natalibus Kirchneriam. Publicis Scholae Senatoriae patriae primùm, post A. 1649., mense Julio, Gerani, & anno insequente Hallensis Gymnafii, tandemque denuò dictae Scholae Patriae Magistris traditus, in linguis & artibus fundamenta iecit laudatissima, & Lipsiam se contulit in Academiam A. 1656. A. 1659., mense Sextili, Ienae Philosophiae honoribus ornatus fuit, pro sacris porro rostris Cizae, vbi Superintendens Himmelius Filium Ipsi tradiderat informandum, dixit haud raro, & a CAPITVLO Numburgensi A. 1659. m. Nov. Scholae Cathedralis (der Dom-Schule) in patria constitutus est Rector. E Schola vero in Ministrorum Ecclesiae ordinem cooptatur, fitque Diaconus primùm Aedis Venceslaviticae Numburgi infimus A. 1663., mense Augusto, ordinatus Cizae d. 4. Sept.; A. 1667. m. Febr. Diaconus ibi medius: A. 1681. Pastor & Superintendens Schleusingensis, hancq; spartam aditurus (adiit autem concione doctrinastica d. 8. Mai. & per Lectionem Theologicam in Gymnasio d. 14. Mai.) pro Licentia summos in Theologia impetrandi honores Ienae disputat, & Licentiatus renunciatur d. 8. Aprilis: Pastor tandem primarius Numburgi & Inspector Scholae ibi Senatoriae, vocatus d. 23. Nov. A. 1684., spartamq; hanc